

CCXXVIII.

U. 200 Codex chartaceus lat. Sec. XV.
Folior. 327. 4. currente calamo
exaratus, et rubricis distinctus se-

*Hoc humane speculum est sal-
uacionis
In quo fit indicium recreacionis.*

Non igitur *Speculum* ipsum, de
quo egi Codice proxime antece-
denti, sed quoddam ejus hic habe-
tur *Compendium*, quod *τερεασιχοις*

*Christus cum sanctis letatur dans eterna gaudia.
Sabba regina miratur salomonis gloria.
Rex asuerus conuiuatur magna cum leticia.
Sic Job nati jocundantur simul per conuiuia.*

II. fol. 5. succedit Descriptio
habitus VII. Vitiatorum Capitalium
et totidem Virtutum illis obposita-
rum. Ita: *In campo mundi superbia
venit super equum cecum &c. Con-
tra superbiam venit humilitas am-
bulans per pedes &c.* Sic porro
singularum vehicula, ornatus capi-
tis, tunica, arma enumerantur,

*Luxuriosus: Carnis alo luxum, Veneris quia diligo fluxum.
Custus: Dum viuo castus, carnales contero fastus &c.*

IV. fol. 9. Materia homiletica
pro Dictionibus tam de Tempore,
quam de Festis per anni circulum,
incipiendo hinc a S. *Andrea* Apost.
inde a Dom. I. *Adventus*. Singu-
lis Thematibus manus diversa me-
morialem adscripsit versum. Inter
Festa jam illud de *Corona spinea*
reperitur. In *Germania* haec col-

uentia continet: I. *Hic compen-
diose omnes hystorie que continen-
tur per ordinem in libro qui appel-
latur humane saluacionis speculum
annotantur. Prologus.*

*Nam creator omnium post mor-
sum draconis*

*Fit saluator hominum vi redem-
cionis. &c.*

XLII. Historiam N. T. figuris V.
T. adumbratam percurrit. En ul-
timi Specimen:

id, quod *Picturas* illas respicere
videtur, de quibus *Vol. praeced-*
ad Udalrici Abb. Campilil. Con-
cordantiam Caritatis dictum est.

III. fol. 7. p. 2. Versus qui-
dam alterni quorundam sibi obpo-
sitorum, puta Virtutum et Viti-
orum, Divitis et Pauperis, Juvenis
et Senis v. g.

lecta fuisse, suadent DD. *Udalri-
cus, Florianus, Colomannus, Afra,*
item inspersa verba patria *Pfrill*
piscis, *Schwalb* hirundo &c.

V. fol. 192. *Loca terre sancte.*
Fallit inscriptio; est enim, quod
sequitur, succincta potius Narratio
fatorum *Palaestinae* ab *Heraclio*
Imp. usque ad an. 1187. et Vitae
Mo.

Mohammedis, quo usus dicitur vindictae caussa Clericus quidam valde famosus, cum in curia romana honorem, quem cupiebat, assequi non posset. Ex ungue leonem. Incipit Narratio: *Quomodo sedet sola ciuitas scilicet Iherusalem &c.* et fol. seq. *Peregrinationes quomodo nouissimis ostenduntur temporibus in Sancta terra Juxta experientiam taliter a me manifestantur.* Manifestator hic est *Fridericus de Steinach*, ut ait ad calcem, *ἀντοπτης*, qui tamen nec tempus, nec modum itineris, nec aliud quidquam de se prodit, contentus enumerare loca memorabilia, et preces ubique dicendas recitare. Nescio, an ad antiquam *Stein-*

nacensium in *Tyrol* vel *Styria* Profapiam pertinuerit Viator hic noster, qui ligna in silvam tulit, et saltem *Catalogum Itinerantium* auget, quem collegit solers *Fabricius Bibl. med. Lat.* ad v. *Antoninus Placentin.* Praemissa nota, quod signum ✠ adpositum in quovis loco significet indulgentiam a culpa et pena, inquit: *Vnde primo postquam nauigando peruenitur ad portum bene in distancia vnus leuce, tunc peregrini educuntur ad portum dictum Joppa, secundum alios Gassa &c. Rectius Jassa, ne Cassam, seu antiquam Theodosiam procul hinc distantem intelligas.*

VI. fol. 198. Rhythmi morales, quorum initium:

*Omnis mundi creatura, quasi
liber et pictura
Nobis est in speculum.*

*Nostre vite nostre sortis, nostri
status nostre mortis
Fidele signaculum. &c.*

VII. fol. eod. p. 2. Dubia quaedam Theologica determinantur, v. g. *Quomodo intelligendum sit, quod in persona domini nostri Iesu Christi est verus deus et homo, et deus ubique est, et tamen humanitas Christi non est ubique, sed tantum certis et determinatis locis &c.* Ante *Ubiquetistas* Seculi XVI.

VIII. fol. 204. *Retractionses Sancti Thome ordinis fratrum predicatorum.* Brevis Observatio, quae incipit: *Transibunt plurimi et multiplex erit scientia &c.* Adnectitur *Elenchus paruorum ejus Opusculorum*, et notatur, contineri haec in libro quodam in conuentu predicatorum *Cremensi*

(*Cremensi*?) qui liber habet hunc titulum *Questiones Egidij* (de Columna) *de generatione.* Opuscula omnia reperi partim in *Opp. Rom. 1570. T. XVII.* partim in *Scriptt. Ord. Praed. T. I.* praeter *Questiones propositas in Concilio generali*, quae quid sint nescio, *Thoma* quidem ad Concilium gen. *Lugdun.* II. vocato, verum, ut notum est, defuncto in itinere. Opusculis ultimum accensetur: *Responsio Joh. Parisiensis ad reginam Nauarre.* Duo referuntur *T. I. Scriptt. O. P. p. 119.* et 500. hujus nominis Viri; neutri tamen simile quid tribui video.

IX. fol. 206. *Nota de diuersis metris.* Recensentur plus quam

XX. diversae Pedicae, in quas se induebant ingeniosi scilicet barbari aevi Metrificatores, toti mechanismo versuum intenti. Hinc ortae Species Carminum Concinentium, Transformatorum, Leoninorum, Crucifixorum, Ludentium, Retrogradorum, Differentium, Reciprocorum &c. quas omnes definit et exemplis illustrat Noster, Versus ad Antiquorum modum factos *planos* adpellare contentus, eo, quod sint *sine ornatu sonorum*, quo *Similiter Desinentia* intelligit, quae hodie in *Rhythmi* nomen involarunt. Exemplis adferendis superfedeo.

X. fol. 208. Incipit liber de barbarismo et soleocismo tropo et scemate ab alberico editus, ubi quaedam ex alijs sunt collecta. In Monito praevio nominantur hi Donatus, Cassiodorus et Beda, nosterque Albericus Monachus adpellatur, et horum ordinator. Extat Poetica quaedam Alberici, teste Car. de Visch in Bibl. Ord. Cist. p. 17. quam is ad Albericum Chronographum illum Coenobii trium Fontium refert; extat relatus a me in Hist. Typogr. Vienn. P. I. p. 29. Libellus Albrici Philosophi et Poetae De Deorum Imaginibus; memorant Caveus, Tannerus et alii Literatores Brit. popularem suam Albericum, Albricum, Alfricum, Aelfricum Grammaticum. Nunquid haec omnia ad hunc eundem Virum pertinere videntur? Nihil enim ad nos, de quo illis non convenit, cujus Coenobii alumnus fuerit. Liber noster quadriparti-

tus ita incipit: *Barbarismus phonicos graphiacosve viciacio unius dictionis ejusmodi, quod possit viciacio deprehendi eciam si dicitio ab propositione fuerit sequestrata ut olli pro illi.* &c. Graeca τεχνικα multa corrupte scripta esse, facile persuadebo. Exemplis noster non tantum profanorum, sed etiam ecclesiasticorum Autorum utitur. Rarissimum esse oportet, nam e sola Bibliotheca Casin. citari video Alberici Monachi Grammaticam Sec. XI.

XI. fol. 220. p. 2. VI. illae Rubricae absque ullo Titulo, quas ad Hugonem de S. Victore jam alibi hoc Vol. pertinere dixi, nempe de Rerum Significatu, Numeris, Proportionibus, Ponderibus, Mensuris et Mappa Mundi. Ineunt: *Diligens scrutator sacri eloquij rerum significationes nequaquam negligere debet* &c.

XII. fol. 228. Brevis Doctrina de Rhythmis. Incipit: *Ricmus est congrua sermonis ordinacio sub qualitate sententiarum conuenienter ordinarum* &c. Traduntur diuersae ejus Species, puta *Aequivoci, Orbiculati, Serpentine* &c. Praecepta exemplis sacris et profanis illustrantur.

XIII. fol. 230. Tractatuli III. adscripti D. Bernbardo. 1) *Super Orationem dominicam* hoc initio: *Multorum legimus orationes sicut Moyse* &c. Extat quidem in Edit. Maur. T. V. col. 551. sed *Benedictini* cujusdam est, ut ibi praevie rite observatum est. 2) *Super symbolum apostolorum*, hoc initio: *Apostolice doctrine sententia tam fidem*

fidem quam fidei confessionem nobis commendans &c. 3) *De simbolo Athanasij*, hoc initio: *Ante omnia. ante spem et caritatem vel cetera bona &c.* Hae duae Expositiones nec in *Edit. cit.* leguntur, nec *Bernardi*, sed fortasse ejus *Viri*, qui *Orationem Dom.* explicuit, esse videntur.

XIV. fol. 237. Excerpta quaedam e *Sermone de Cogitationibus: Ammonet nos beatus benedictus fratres sollicitos esse &c.* Item e *Sermonibus Bernardi*, e *Controversiis Pelagianis Augustini*, et *Alcuini seu Albini Quaestionibus in Genesin.*

XV. fol. 242. Compendium illud *Historiae Evangelicae* jam alias non semel indicatum, quod inquit: *In principio erat verbum &c.*

XVI. fol. 253. Resolvuntur variae *Quaestiones* circa sacros *Homines* praesertim eorum officium *Horas canonicas* recitandi, quarum prima: *Vtrum Novitij teneantur ad Horas Canonicas?*

XVII. fol. 265. *Hugo de Sancto Victore de virtute orationis.* In *edit. Opp. Rothom.* 1648. T. II. p. 238. f. inscribitur *Liber de Modo Orandi*, et incipit: *Domino et Patri charissimo H. Munusculum hoc dilectionis mee &c.* Codex pro *Charissimo H.* legit simpliciter *Tbij.*

XVIII. fol. 270. *Incipit Tractatus de corpore christi.* Ita quidem: *Ad honorem corporis dominici quod tractum est de purissimis sanguinibus gloriose virginis &c.* Agitur de *Eucharistia* juxta *X. Praedicamenta Substantiae*, *Quan-*

titatis, Relationis &c. Unde putes, te prae manibus habere *Thomas Aquin. Opusculum LIX.* *edit. Rom. Opp. 1570. T. XVII.* Verum collatio docet, nostrum et brevius esse et recentius.

XIX. fol. 274. *Opuscula et Tractatus Ipsius Magistri Johannis Gerson Cancellarij parisiensis.* Enumerantur initio ducto a *Quadripartito de Nuptiis Sapientiae: Quaesivi sponsam mihi eam assumere &c.* quod citatum a *Tribemio n. 755.* in *Edit. Opp. Dupiniana* non reperi, *Tractatus et Opuscula LXIV.* subjecto hoc voto: *Item multa alia brevia sunt eius opuscula super diuersis materijs causa breuitatis hic omissa, que tamquam fragmenta ne pereant recollecta et in uno volumine velut in sporta recondita magnum et gratum preberent legentibus profectus solacium.* Quod votum jam ab *edit. Colon. 1483.* impleri coepit.

XX. fol. 277. *Incipit liber Crisostomi de Laudibus gloriosissimi pauli apostoli.* Initium est: *Nichil prorsus erravit, qui pratum quoddam insigne virtutum &c.* Habemus igitur versionem *Aniani Celerdensis* *Diac.* prout extat in *edit. Opp. Job. Chryf. lat. Lugd. T. III. 1687. p. 315. f.* et in *grae-colat. Maur. Paris. T. II. 1718. col. 476. f.* Abest a *Codice merito Sermo VIII.* spurius, neque *Tractatus in Sermones VII.* sed in *Rubricas* quasdam distinctus est.

XXI. fol. 294. *Breviora quaedam: 1) De Gradibus Contemplationis. Ad artem contemplationis per sex gradus ascenditur &c.*

2)

2) 7. *mirabilia mundi famosa*. Nota illa. *Primum mirabile est Capitulum rome &c.* 3) Libellus supplex seu Adlocutio Procuratoris Coenobii *Mellicensis* O. S. B. in *Austria* ad Pontificem pro impetranda Confirmatione Abbatis recens *per libere ac canonice celebratam electionem unanimi consensu nemine contradicente* constituti. A longe ingreditur Procurator adsumto Themate: *Constituit eum dominum domus sue &c.* Pf. 104. de Regimine Ecclesiae, de Pontificis autoritate, de necessariis ei Vicariis &c. Monasterium vero compellat *a cuiuslibet inferioris Iurisdictione exemptum solique vestre sanctitati immediate subiectum*. Notis omnibus sive historicis, sive chronologicis caret, unde neque in *Ans. Schrambii Chronico Mellic.* neque in *Mart. Kropfii Bibliotheca Mellic.* quidquam opis mihi fuit.

XXII. fol. 296. *Ad Capitulum carthusiensium*. Sermo prolixus in illud: *Gratia vobis et pax multiplicetur. I. Pet. I.* plenus opportunis documentis asceticis incipit: *Ysidorus 3. de Summo bono c. 10. dicit: Doctrina sine gratia adiuuante quamuis infundatur auribus &c.* In mox memorata *Bibliotheca Kropfii* p. 178. citatur *Nicolai de Dunkelspühl Sermo fusissimus ad Carthusiense Capitulum*, quem nostrum esse non ambigo, licet in *Codice* nostro abruptus sit. Doctores *Vienn.* illo aevo Asceteriis vicinis saepe piam operam impendisse, et hic Sermo, et alii ab eodem *Nicolao ad Mellicenses* ha-

biti, et alia ab *Henrico de Hassia* ad *Canonicos Neoburgenses* scripta, atque in his *Commentariis* relata demonstrant.

XXIII. fol. 307. Opusculum *ἀδεσποτον de Confessione*, cujus initium: *Quoniam iuxta beati gregoriij in suo pastoralis sententiam regimen animarum est ars arcium &c.* Tripartitum est, et ab it in *Capita*, sed jam in P. II. c. 6. abrumpitur. Autorem quaeris? Est is *Joh. Nider* ex O. P. *Suevus Isniensis*, aliquamdiu membrum *Conventus et Doctor Acad. Vien.* cujus Acta et Scripta referuntur cum in *Biblioth. Ord. sui T. I. p. 792.* tum in *Scriptt. Univ. nostrae P. I. p. 112.* Ejus Opera prima mox prela occupaverunt, unde nostrum *Manuale Confessorum* adjacet mihi ex editione trium illorum *Germanorum*, qui *Artem Parisiis* intulere, anni 1473. f. *anm*

CCXXIX.

Codex membranaceus lat. Sec. U. 1013 XI. Folior. 42. f. luculente et a prima manu pernitide scriptus, multis tamen locis ob extritas literas atramento denuo inductus, miniatis titulis, olimque, et quidem a 1501. e *Coenobio Lambacensi*, quod in superiore *Austria* O. S. B. est, nescio quo, adcersitus continet *Coel. Sedulii Presb. Sec. V. Scriptoris Poetica sacra*, quae jam *Vol. I. P. I. col. 413.* retuli. In *Cod.* praesenti initium est ab *Introductione* cujusdam *Grammatici: In capite uniuscuiusque libri VII perioche requirende sunt, id est*